

7

D. D.
DISSERTATIO GRADUALIS,
HYPOTHESES
LEIBNITIO-WOLFIANAM
^{DE}
**PERMISSIONE
MALI,**
LEVITER EVOLUTAM ET EXAMINATAM
SISTENS,
—
QUAM,
CONSENS. AMPL. FAC. PHIL. In ILLUSTRI ACAD.
ABOENSI,
SUB PRÆSIDIO
VIRI MAXIME REV. ET CELEBERRIMI,
D. NI M^{AG.} WILHELM^I
ROBERTI NÅAF,
Log. & Metaph. PROFESS. Reg. & Ordin.
Publicæ Bonorum Dispuitioni subjicte
JOHANNES SIMELIUS,
Ostrobotniensis,
In AUDIT. MAJORI Die XXII Junii AN. MDCCCLXXVIII.
H. A. M. S.

ABOÆ
Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL,
Reg. Acad. Typogr.

hanc addens rationem, ne quis dicat, mundos plures existere potuisse diversis temporibus & locis, nam omnes simul pro uno mundo, vel si mavis, pro uno universo computandi forent (a). Vocabulo igitur mundi designat non tantum substantias rerum, nec solos naturales & necessarios corporum motus, verum etiam ipsas creaturarum liberas actiones, quas omnes tanquam partes, mundum ingredientes, concipit; ita ut, si vel minimum aliter contingere, quam ipso actu contingit, mox interrumperetur series rerum, ante coherentium, nec amplius idem mundus foret. Hæc omnia breviter expressurus *Wolfius*, mundum definit per seriem entium finitorum, tam simultaneorum, quam successivorum, inter se connexorum (b).

(a) *Theod.* § 8. (b) *Cosmol.* § 48.

§. III.

Mundum ita conceptum Duumviri isti omnium possibilium optimum statuerunt. Nemo enim nescit, inquiunt, saltem negare potest nemo, *Deum* amare & velle omne bonum, idque pro gradu veræ bonitatis, in eo deprehensæ. Nisi enim, ratione appetitus, objecta distinguenterunt; eadem & æqualia ficeret voluntas, quæ diversa & inæqua judicat intellectus; quod manifestum inter attributa Divina inferret dissensum, absolutæ eorum perfectioni contrarium. Minus itaque bonum, Sapientissimum Numen non præfert majori, nec optimo ullum. Ubi igitur ex pluribus possibilibus unum eligit, eligit id, quod omnium optimum est, quod summa sapientia voluntati optimæ, ut convenientissimum, proponit. Jam vero Deus ex omnibus possibilibus hunc nostrum elegit mundum, & ita quidem elegit, quemadmodum fert adæquata Ejus cognitio,

§. I.

Ut profanorum hominum, in primis vero *Pet. Belii*, cavillationibus, contra providentiam Dei circa malum directis, pro virili obviam irefus, conatus est illustris *Leibnitius*, & qui ejus premit vestigia, Celeberrimus *Christ. Wolfius*, non modo ostendere, quod *Deus*, salvis perfectionibus suis peccatum permitterit, verum etiam rationem permissionis simul designare. Nimis, qui peccati permissionem cum Divinis perfectionibus conciliare, nimis difficile judicant, illos arbitrantur eo potissimum falli, quod humani generis felicitatem, tanquam unicum finem, a *Deo* intentum, spectent; cum tamen fines Divini latissime pateant, nec creaturas tantum rationales, sed & reliquas in universum omnes complectantur. Jubent igitur attendere finem Dei totalem, universi nempe operis Divini summam, quæ obtinere potuit, perfectionem. Hæc, cum in idea sua malum, & morale, & physicum, includat; unicam rationem, cur malum utrumque Deus permitterit, hanc esse putant, quod nisi mundus malum sibi innexum haberet, non optimus fuisse ac perfectissimus.

§. II.

Prius igitur, quam ulterius in gravi hac & difficultate progrediamur, mens horum Philosophorum de mundo optimo ex propriis eorum scriptis explicanda & paucis proponenda venit. Mundum *Leibnitius* vocat totam seriem totamque collectionem, omnium, existentium, hanc

quæ totum respicit, & omnes ejus partes, earumque diversas habitudines, innumerabiles combinationes, hinc oriundas perfectionum exceptiones, & exceptionum deinde moderationes, simul comprehendit. Ergo hic mundus, quoad omnes effectus, tam physicos, quam morales, eorumque consequentias, periodos & status, seu in toto suo ambitu, consideratus, omnium possibilium optimus est & perfectissimus.

§. IV.

Dicunt præterea, & nos credere jubent, tanti momenti hoc esse dogma, ut cum eo stet cadatque gloria Dei, laus Perfectionis, Bonitatis ac Sapientiae Ejus, ut summæ. Immo humanæ etiam tranquillitatis, fiduciae in Deo & acquiescentiæ id fulcrum esse putant, si non unicum, at optimum tamen, & omnium præstantissimum pariter ac solidissimum. (a) Addunt, speculum gloriae Dei, signum Intellectus perfectissimi, Voluntatis optimæ, Potentiae maximæ, Sapientiae summæ, mundum non esse, si non sit omnium possibilium optimus. (b) Quid, quod, parum abest, quin dicant aliqui, verum Deum eos colere non posse, qui hanc negant doctrinam (c).

(a) Caus. Dei § 46. 48. 67. (b). Wolf. Theol. Nat. P. I. §. 326. 400. 403. 608. & P. II. § 369. 365. (c) Herbart In Kurtzen Eryeils &c.

§. V.

Verum enim vero, licet philosophis his Celebratissimis mitum quantum placeat hypothesis de mundo optimo; illam tamen, quounque demum pingatur minio, sobrii philosophi suffragio plane pleneque indignam judica-

dicamus. Quod quidem ut extra omnem ponatur dubitationis aleam, non multis differemus, an tuto satis dicitur, malum perfectionibus mundi admixtum non impedire, quo minus is sit ceteris omnibus, etiam eo, qui malo caret, perfectior. Facile hoc obtinerent, si, quod conatur Wolfius (a) evincere possent, ne possibilem quidem esse mundum, omni destitutum malo. Ast Wolfius l. c. physicum tantum malum designat; loquitur enim de serie rerum corporearum, ita connexa, ut nihil inde scaturiat adversi. Hanc possibilem esse vel negat, vel saltem dubium ac incertum putat, quia innumerabiles mundi partes, earumque combinationes animo complecti, negotium est, mentis vires longe superans; frustra vero, si Wolfium audimus, ad omnipotentiam Divinam provocatur, nisi talem mundum possibilem esse, antea fuerit demonstratum. Haud diffitemur quidem, mortaliū neminem esse unum, qui omnes partes mundi, maximas, minimas, in numerato habeat, earumque complicatam connexionem distincte perspiciat; at tuto inde colligi posse ad impossibilitatem seriei, in qua omnia non interrumpo ordine & harmonice conspirent ad finem ultimum, id vero negamus omnino & pernegamus, contendentes, possibilitatem rei temere in dubium vocari, nisi demonstrata, quam involvere ponitur, manifesta idearum pugna. Multo minus suspicari licet, rem esse impossibilem, ubi ne species quidem contradictionis appareat. Qualem cum nec idea mundi, a malo, tam physico, quam morali, liberi, præ se ferat, non est, quod de possibiliitate ejus dubitemus. Concedere hanc videtur ipse Leibnitius, saltem nusquam, quod nemini, dixit talem mundum absolute impossibilem esse; urget tantum, eundem nostro haudquam meliorem; cum alias fieri non potuisset, quin Deus, quæ summa Ejus est sapientia, illum elegisset. Pessime vero rem suam agit, dum,

hanc hypothesin ut eo felicius tueretur, passim in immi-
nuenda mali magnitudine, vulgo persvasa, quantum potest, ingredi, ut sine eo mundus plane non esset optimus.
maxime laborat, existimans, mala bonis comparata, vel Qualis autem hæc sit mali necessitas, utrum qualis inter-
numero, vel gravitate, multis gradibus esse inferiora. Ita, cedat inter causam & effectum, inter medium & finem,
cum in scenam provocasset Bælium, pleno clamitatem an vero, necessariæ conditionis tantum sine qua non
ore, hominem esse pravum & infelicem, ubique esse vim habeat, id non perspicue satis significant. Certe
carceres & nosocomia, historiam nihil esse, nisi crimi-
num & infortuniorum generishumani epitomen; respon-
det demum: *Arbitror hæc exaggerate dici; multo plus
boni in vita hominum est, quam mali.* Neque hæc ad com-
moda tantum restringit; nam virtutis vitiique compara-
tionem instituens, haud obscure significat, plus virtutis,
quam vitii in humana vita deprehendi, nec homines
crebrius peccare, sed historicos vitia hominum studio-
sius, quam virtutes, persequi. (b) Haud dissimilem pro
genere humano apologiam alio profert loco, ubi cum
graviter etiam reprehendisset acutissimum Bælium, de
regnante vicio, virtute autem modica prorsus & infre-
quenti, querelas ingeminantem; addie tandem: *immo
nec inter homines quidem tantum est mali & improbitatis,
quantum passim creditur.* Soli homines indolis malignæ, aut
Misanthropi, pravitatem ubique reperiunt, & optimas quas-
que actiones sinistris interpretationibus depravant. (c) Ne-
que mirum, hæc talia ab illustri viro confidentissime as-
seri, cum eo quoque procedat audaciæ, ut sibi aliisque fi-
dem facere conetur, malum, bono comparatum, pro nibilo
baberi posse, si vera civitatis Dei magnitudo perpendatur,
h. e. ipso interprete, si in censum veniant omnia bona,
in toto obvia universo, quod præter hunc terraqueum,
alios quoque globos, creaturis intelligentibus plenos, am-
bitu suo comprehendit. (d) Sed transeant hæc.

(a) Cog. Rat. § 1058 & 1061. (b) Theod. § 148.

(c) Ibid. § 220. (d) Ibid. § 19 & 123.

Supra vidimus § II, malum ita mundi optimi ideam
nuenda mali magnitudine, vulgo persvasa, quantum potest, ingredi, ut sine eo mundus plane non esset optimus.
maxime laborat, existimans, mala bonis comparata, vel Qualis autem hæc sit mali necessitas, utrum qualis inter-
numero, vel gravitate, multis gradibus esse inferiora. Ita, cedat inter causam & effectum, inter medium & finem,
cum in scenam provocasset Bælium, pleno clamitatem an vero, necessariæ conditionis tantum sine qua non
ore, hominem esse pravum & infelicem, ubique esse vim habeat, id non perspicue satis significant. Certe
Leibnitius ipse hic parum constanter loquitur. Est enim,
ubi mali titulum causæ, intuitu boni, quod obtinetur,
tribuit (a); licet non satis mentem suam exponat, quale
malum intelligat. Alio autem loco, morale illud malum
instar mediæ esse docet ad obtinendum bonum, vel im-
pediendum aliud malum (b). Rursus Metaphysica & Phy-
sica mala a Moralibus distingvens, illa dicit, nonnunquam
esse subsidiaria bona, & quasi media assequendi bona
majora: hæc vero concedit tantum esse conditiones, sine
quibus non obtinetur bonum (c); mediorum vero ratio-
nem habere negat; cum alibi tamen diserte statuat, ma-
lum in partibus ad majus bonum in toto conferre posse,
& apparentes mundi defectus, adeo mundi pulchritudi-
nem non minuere, ut potius augeant, & majus bonum
procurando, ad illam conferant (d). Neque hac in re
a Leibnitio discedit Wolfius, durius licet ab illo enun-
tiata mitigare studeat, hæc & similia cautissime summa-
que præcisione scribens: *Quum hic mundus sit omnium
possibilium perfectissimus, adeoque, si mutetur, non possit
mutari in melius, sed mutetur necessario in deterius; subla-
to malo physico & morali ex tota hac rerum serie, ipsa hæc
rerum series permanere nequit omnium possibilium perfectis-
sima (e).* Mala physica & moralia ita implicantur bonis,
ut, si mala inde auferre velis, bona una cum ipsis auferas (f):
*Immo, malum physicum & morale non obstat, quo-
minus hic mundus sit perfectior omnibus possibilibus, sed potius*

buc

buc facit, ut maxima buic rerum seriei sive mundo insit perfectio, quæ eidem inesse potest, & fini a Deo intento, manifestans nimis gloriam suam, i. e. perfectioni summae, omnium maxime conveniat (g): Malum ergo morale permettere decrevit, ne excideret fine a se intento (h): Dirigit quoque Deus malum morale ad bonos fines, & hoc ipso idem pertinet per accidens ad decorum universi, & ad maiorem ejus perfectionem facit (i). Plura non addam, cum ex locis jam allatis, cuivis, ad rem ipsam vel parum adtentanti, satis patet, malum physicum non minus, quam morale, ad mentem Wolfii, rationem habere, si non medii, conditionis tamen sine qua non mundi optimi.

-
- (a) Theod. §. 10. (b) Ibid. § 24. (c) I. c. § 158 & Caus. Dei § 36. (d) Theod. § 239. (e) Theol. N. P. I. § 556. (f) Ibid. § 675. (g) I. c. §. 617. & 673. (h) Ibid. § 622. (i) I. c. p. 536.

§ VII.

Jam periculosa conjectaria, quæ ex hypothesi de necessaria connexione inter malum & mundum optimum, tanquam impuro fonte, non per obliquos anfractus, sed directe, nec tam prono, quam rapido fluunt alveo, in proclivi est animadvertere. Quod si enim malum ita adhæreat mundo optimo, ut sine ejus praesentia plane non potuerit optimus esse, alterutrum certe necesse est, aut malo medii rationem, aut conditionis sine qua non tributare. Et sane prius illud videtur Leibnitianis hypothesis magis consentaneum. In illo enim systemate mundi, ubi omnia finguntur connexa per media & fines, singula cum omnibus, & omnia cum singulis, ita ut minima quævis mutatio dependeat a toto mundo, & totum

univer-

universum vicissim a minima illa mutatione; ibi mihi videntur antecedentia quævis, in ordine ad ea, quæ in eadem serie sequuntur, non nudæ conditionis, sed verae causæ, proximæ, vel remotioris, rationem habere. At quocunque demum titulo malum, intuitu optimi mundi, insigniatur, valebit consequentia: eum, qui eligit aliquid, cum quo alterum ea necessitate connexum est, ut sine hoc, illud plane obtineri nequeat, non posse sine absurdâ appetitus pugna cum semetipso alterum ab altero, volendo divellere. Quod si igitur Deus elegerit hunc mundum, tanquam optimum; cum hoc autem indissolubili nexu ita cohæreat malum, ut illo absente, desineret mundus optimus esse; profecto non magis potest malum repudiare, quam optimum mundum simul velle & non velle. Ast consequentiam hanc impiam una quasi litera delere conatur Bilfingerus, obvertendo non causalem, sed individualem esse propositionem, dum dicitur, mundum cum malo optimum esse: *Num recte, inquit, colligo? Deus vult optimum mundum propter perfectiones illo comprehensas: igitur perfectiones vult. Deus vult optimum mundum, non obstantibus partium imperfectionibus: ergo imperfectionum illarum permissionem vult. Jam, si placet, argue similiter: Deus vult optimum mundum propter imperfectiones: ergo vult imperfectiones. Nego assumptum. Deus vult optimum, non obstantibus imperfectionibus intermixtis: ergo vult imperfectiones. Nego consequentiam &c.* (a) Exceptio hæc principalis ac speciosa omnino est, utpote qua festinans animus ita capit, ut putet, nihil in ea vitii esse, assensum ergo eidem denegari haud posse. Sed noli præcipitare judicium; expende potius, non id tantum inferre adoptatam hypothesis, quod mundus cum imperfectionibus esse possit optimus; verum etiam plane plene que negare, mundum sine imperfectionibus optimum esse. Non igitur subsumi debuerat: *Deus vult optimum mun-*

B

dum

26 10 27

dum, non obstantibus imperfectionibus; verum ita potius: Deus vult optimum mundum, qui sine imperfectibus optimus esse non potuit. Sic autem, ni fallor, recte concluditur: ergo non solum imperfectionum permissionem, earumque ad fines praefixos directionem, sed ipsas etiam imperfectiones vult. Neque enim ad exponendam rationem, cur malum permittratur, quicquam valebit ingeniosa illa Leibnitii hypothesis (vid. §. I.), nisi presentiam mali in optimo mundo plane necessariam esse, ponatur. Si enim possibilis est mundus, a malo immunis, idemque summo gradu perfectus, non amplius dici potest, malum ideo esse permisum, ut obtineretur mundus perfectissimus, citra hanc conditionem non obtainendus. Quousque igitur memorata fingitur mali necessitas, nunquam, opinor, declinari poterit consequentia: Deum velle malum, si non separatim, & in se spectatum, attamen quatenus consideratur in nexu illo necessario cum optimo mundo; velle enim aliquid, & simul nolle id, sine quo prius illud frustra volumus, est stulte & contradictorie velle. Quicquid igitur negent Leibnitiani, ex hac tamen eorum sententia arbitror vere sequi, Deum nunquam serio intendisse absentiam mali, & perseverantiam creaturarum in bono. Quonodo enim id intenderet, quod non posset obtainere, nisi mundum non optimum admittendo, sapientiae leges violaret? Non igitur vere odit, non serio prohibet peccatum, non modo, Deum decenti, illud impedit; contraria potius omnia, non supicari licet, sed statuere necesse est. Quid, quod, stante hac hypothesi, plus obtainent isti philosophi, quam optare eos spero, inter Deum nempe & homines non dari veri nominis peccatum. Profecto, aut me omnia fallunt, aut ex eorum placitis ita inferre licet: Mala moralia non obstant, quo minus in mundo, qui existit, major sit perfectione, quam in ceteris possibilibus, quin potius, salva summa ejusdem perfectione, auferri

26 11 28

ferri minime possunt. Quam ob rem mundum non efficiunt imperfectiorem, quam foret, si quidem abessent. Quoniam igitur in relatione ad mundum integrum, malum dici nequit quidpiam ad ipsum spectans, nisi quatenus eundem reddit imperfectiorem, quam foret, siquidem ipsum abesset; malum morale in relatione ad integrum mundum non est malum (b). Porro: Deus de malo morali non judicat, nisi in relatione ad totum mundum, nec illud deinceps ad se refert, nisi quatenus spectatur ad totum mundum relatum (c). Sed malum morale, in relatione ad integrum mundum, non est malum (per demonst.). Ergo de malo morali judicat, quod non sit malum, & eodem modo illud ad se refert. Quanta autem in hoc uno dogmate sit insania, omnisque veritatis ardua & gravis per totum religionis ambitum consumata eversio, nunc non dicam, paucis quia dici nequit. Dixisse sufficiat, non vera, sed oppido falsa esse principia, quæ ad tam periculosa & impia conjectaria recta nos deducunt via.

(a) Tract. de Orig. & Perm. M. § 422. (b) Wolf. Theol. Nat. p. I. § 563. (c) Ibid. § 573. in not.

§. VIII.

His ita factis transactisque, breviter strictimque excutiamus rationes, pro hypothesi Leibnitio-Wolfiana de permissione Mali, § I. adductas, quarum vis & nervus hic reddit: Mundus hic existens est individuum, h. e. omnimode determinatus. Quare, si vel minima abesset determinatio, non amplius idem, sed aliis foret mundus. Sed hic mundus, in toto suo ambitu spectatus, est omnium possibilium optimus § III. Quam ob rem, scilicet inter

ceteras hujus mundi determinationes, etiam obtinet malum, creaturarum viro introductum, ejusque permissio, mundus sine malo ejusque permissione foret imperfectior. Quam verum igitur est, imperfectius perfectiori per sapientiae regulas præferri non posse; tam certum quoque haberi debet, Deum ideo permisisse malum, ut mundum obtineret inter omnes possibles optimum. Sed pura pura æquivocatio hac argumentatione utentibus præsidio est. Cum enim sub notione mundi comprehendant non modo substantias, verum etiam omnia earum accidentia, physica & moralia, bona & mala § II; facile patet, electionis vocabulum, pro diversitate eorum, quæ ad mundum referuntur, etiam diversam postulare interpretationem. Substantia a Deo conditæ, una cum omnibus suis potentissimis viribus agendi, omnibusque illis mutationibus, quas per leges, in natura positas, & ex creatoris instituto subeunt, proprie, & secundum usum loquendi receptum, mundum constituunt: & mundus hoc sensu acceptus, ut opus est solius Dei, ita vere dicitur a Deo electus. Quod si vero liberas creaturarum actiones cum iis, quæ ad hoc ipsum opus pertinent, in unam quasi-compaginem confundere velis; non amplius licebit mundum pro opere solius Dei venditare; neque adeo illum, in toto suo ambitu consideratum, a Deo electum, id est, omnibus aliis mundis prælatum, & tanquam optimum, a Deo approbatum fingere, nisi juxta dicere volueris, Deum omnia illa, quæ in mundo occurrunt, mala, adeoque ipsa etiam peccata, elegisse & approbabile; quod dictum tamen plane impium est. Electio igitur mundi, in ista latitudine sumti, Deo tribui nequit, nisi hic sit verborum sensus, quod illum, sub tristis malorum facie ab æterno prævisum, ad existentiam admiserit, vel, quod eodem recidit, non impedierit, quo minus creaturæ per abusum libertatis mundum malo macularent. Idque unum docet

cet eventus, ad quem, tanquam ultimum hac in re principium, provocat Leibnitius, ejusque assertor. Sed num ex tali electione rite ac sufficenter probari poterit, optimum hunc mundum esse, & quia, tanquam optimus, malum complectitur, non potuisse non malum a Deo permitti? Miror non animadverti, sic totam argumentationem in vitiosum abire circulum. Summa enim conclusionis hæc est: Deus nisi æternas sapientiae leges migrare voluerit, non potuit non malum permettere. Unde vero hæc constat permissionis necessitas? Ex eo, inquit, quod malum ad ideam hujus mundi, ut optimi, pertineat. Ast, unde evincitur, hunc ipsum mundum esse optimum? In promptu est responsio, quia est a Deo electus. Quod si jam, ut nuper ostensum est, mundi, malum complecentis, electio, nullo tolerabili sensu Deo tribui possit, nisi electio idem significet, ac permissione, sive Divinum decretum de non impediendo malo, in mundum irrepente; resolvitur tandem tota argumentatio in hanc identicam propositionem: Deus per æternas sapientiae leges non potuit non permettere malum, quia per easdem illud necessario permisit. Aut igitur ostendit Leibnitio-Wolfiani, aliam vocabuli electionis significationem, absque manifesta absurditate, hic locum habere; aut, si id nequeant, uti certo nequeunt, fatebuntur tandem, operosa illa demonstratione nihil demonstrari.

§. IX.

Verum enim vero, cum nihilo secius, non semel, nec parum, gloriantur Leibnitiani, causam Dei circa permissionem malii contra Libertinos non posse defendi, nisi statuatur, eum malum permisisse ob majorem perfectiōnem mundi, & obtainenda plura bona, quam sine malis obtineri potuissent; paucis discutere lubet formidabiles & invictas illas rationes, propter quas nos, tanquam ine-

44

ptos milites, ex acie rejiciunt, nisi eorum sequamur vexila. Si Deus, inquiunt, prævidit fore, ut creature concesseret sibi libertate in extremam sui perniciem abuterentur, cur libertatem dedit? cur datam potius non revocavit? cur libertatem permisit ruere in mala, cum potuisse absoluta sua sub his circumstantiis? Non sufficit dicere: reliquit, quia dedit. Quero, cur dederit? eadem tandem questione extorquens responsum, quod habemus exspecto, scilicet ideo dedit, quia convenientius fuit dare, quam non dare; & sic ideo permisit, quia convenientius fuit permittere, quam impedire. Et hæc ipsissima illa est responsio, quam in systemate Leibnitiano datus (a). Idem etiam nos confidentissime statuimus: nisi melius h. e. Divinis perfectionibus dignius fuisset, peccata & consequentia mala permittere, quam impedire; impeditisset sane, non permisisset Deus. Sed juxta contendimus, ad hoc probandum nobis non impositam esse necessitatem confugiendi ad pericolosam illam hypothesin de mundo unice optimo; cum vel sola idea Dei, tanquam entis perfectissimi, id ipsum extra omnem ponat dubitationis aleam. Sic iam diu quoque est, quod eruditii, ex aliis principiis, quam quæ systemati Leibnitiano propria sint, Libertinorum dubia adeo solide confutarunt, ut eos in pudorem prorsus dedisse videantur. Scilicet, ut tribus defungar verbis, dum postulant, ut eximium libertatis privilegium creaturis vel primitus non concederetur, vel concessum subtraheretur, Deo utique pro brose objiciunt, quod non angelos pariter ac homines, vel stipites truncosve, omni activitate & potentia in utramlibet se vertendi partem destitutos, creaverit, vel saltem dum immiseret peccandi periculum, non in brutas ejusmodi substantias verterit. Verum enim vero, si hoc consilium arripiisset Deus, quem, quæso, tandem creati mundi finem, Creatore suo dignum, vel mente concipere licet?

quale

35

quale specimen bonitatis, deficientibus illis, qui sibi, & beneficiis sibi collati, conscienter essent? Quorum pertinerent tot numero & magnitudine stupenda infinitæ sapientiae patiter ac potentiae monumenta? si nemo esset, qui animadverteret, nemo, qui pio percelleretur stupore.

(a) Bilf. Dilucid. Phil. § 485.

§. X.

At pergunt Libertini regerendo: actum voluntatis, in malum ruentis, potuisse saltem per suasionem & inspirationem extraordinariam seu miraculosam ita impediri, ut sartata nibilominus & tecta mansisset libertas. Ad hanc instantiam pro virili infringendam non omnes unam eandemque ingrediuntur viam. Il. Wolfius (a) ideo negat, „malum potuisse a Deo per miraculum averti, quod, repugnet, velle Deum, ut hic mundus existat, & tamen, propter interveniens miraculum ea in mundo non contingant, quæ indoli ejus convenienti; addens, miracula, folius potentiae documenta esse, nec nisi unius rei notiam requiri; opera vero Divina, quæ consuetum naturæ ordinem sequuntur, non potentiam modo, verum etiam omniscientiam & sapientiam Dei loqui. Sed mihi non contigit, adeo esse perspicaci, ut repugnantiam memoriam animadvertere possem, nisi fingatur, communem naturæ cursum quibusvis miraculis semper & sine exceptione præferri, adeoque Divinitus decretum esse, ut omnes mundi eventus ordinarias naturæ leges sequantur; quo posito, contradictionem demum involveret, non modo si Deus malum miraculo tollereret, verum etiam si ob quenquamque finem, a communi naturæ ordine recedendo, quid per miraculum faceret; quod quam sit absconum, nemo non videt. Neque majori specie veri dicitur, miracula

racula solius potentiae opera esse, nec sapientiam require. Cum enim per miracula mutetur series rerum, quae ex Wolfii hypothesi, ita sunt connexae, ut si vel minima mutatio hanc combinationem interrumperet, ne celle sit, novum plane mundum existere; sua sponte sequitur, quoties miracula contingunt, toties novum utique mundum oriri, aliter jam constituta universa rerum serie. An vero minorem sapientiam postulat, novam plane seriem ita ponere, ut attingatur finis; neque tamen ceterorum finium ordo turbetur? Prævisæ quidem huic objectioni obviam ire conatur Wolfius (b) dicendo: se miracula tum demum, ut solius potentiae opera, ordinario operandi modo, tanquam sapientiae simul argumenta postponere, si impudus fingatur, ubi omnia per miracula fierent, quæ nunc ordinaria via eveniunt; in eo autem casu, quo ad assequendum finem, naturali modo non obtinendum, miracula inferuntur quasi eidem universalis rerum catena, & cum iis in unum systema combinantur, quæ secundum naturalem agendi modum eveniunt, esse illa quoque opera sapientiae. Quia vero ratione hæc exceptio cum aliis viri Celeberrimi assertis in concordiam reduci queat, cum ignarissimis me ignorare fateor. Confidentialiter enim assertit, harmoniam universalem sitam & fundatam esse in immutabili Dei sapientia, bonitate & potentia; per miracula vero turbari ordinem naturæ, & harmoniam universalem everti, nec restitui, nisi Deus eodem momento, coexistentium infinites infinite multarum totius universi substantiarum representationes & relationes, operatione similiter immediata & supernaturali mutaret, & singulis inferret, quod mutationi, ab initio factæ, responderet. (c) Ecquis vero, ut alia bene multa sicco, quod ajunt, præterea pede, miracula sapientiae dixerit opera, si sapientiae repugnant, & tantam inferant disharmoniam, nisi infinites multiplicaren-

plicarentur, adeoque desinerent esse miracula. Sed ponamus tantisper, exceptionem modo laudatam cum istis hypothesisibus conciliari posse; inde tamen nihil sequitur, præter id, quod ultero largimur, miracula communi naturæ ordini non præferri, nisi id, quod a Deo intenditur, vel plane non, vel non æque facile, cito ac plene obtineri queat. Verum, num hinc evidens est ratio, cur peccatum Divinitus per miraculum non impediatur? Nonne res digna erat miraculo, tantam molem mali, in primis vero moralis, avertere? Si ad hominem lapsum, pristinæ integritati restituendum, tot miracula adhibet Deus; cur sapientia ejus non conveniens esset, miraculum edere ad lapsum omnino impediendum? Rationem non expeto specialissimam, ut momenta in decreto de malo non miraculose impediendo seorsum & ex omni valore determinate enumerentur: sufficit generalis, eaque Deo digna; quam, qui in doctrina Wolfii de miraculis querunt, illi, ut ex dictis pater, irrito laborant conatu.

(a) Cog. Rat. § 1059. (b) in Annos. Metaph. § 395. seq.
Cog. Rat. § 1042. (c) Wolf. Theol. Nat. p. I. §. 666.
740. 741. 1010.

§. XI.

Neque firmiori nituntur fundamento, quæ, ut serupulum, § IX allatum, tollant, ad præscientiam Dei provocant. Cum enim, ajunt, prævideret Deus, creaturas per libertatis suæ abusum, nulla excusatio dignum, a sanctissima voluntatis suæ norma aberraturas esse; non videtur aeternæ justitiae ratio magis permittere potuisse, ut decerneret, peccato vicinas creaturas, miraculose impedire, quam ut statueret, peccatum, jam commissum, inultum relinquere. Impeditio enim illa peccati supponit peccatum, nisi interveniret Divinum impedimentum, certo & infallibiliter futurum. Ergo sanctissimo peccati vindice non dignum videtur, per miraculum impedire, quominus creatura, arbitrio suo relata, in peccatum simul ac peccati poenas voluntario ruerent impetu. Seilicet, qui ita calculos subducunt, illi concedunt quidem, in homine, futura contingentia vix levè suspicione assequenti, vindicativam iustitiam ante peccatum jam consummum, locum non habentes; ast, cum Deo futura sint veluti præsentia,

ejusque prævio re ipsa simplex sit visio; simul urgent, peccatum certo
comittendum, Divino iudicio estimatum fuisse, ut jam comissum; adeo-
que justissimum decretum de puniendo peccato, olim futuro, simul
involuisse consilium de non impediendo eodem peccato. Si quis vero
dixerit, hujus sententiae patronos non satis distinctum sibi de imputatione
formasse conceptum, aequior esse volo, quam ut id ægre feram. Evidet
aliud enim importat imputatio, quam declarationem, ad quem factum li-
berum existens ejusque consecutaria pertineant? Quam verum igitur est,
illam supponere factum, non absolute futurum, nec conditionate tale, sed
re ipsa existens; tam certum quoque haberi debet, ex sola Dei prævisione
peccata non posse nobis imputari. Accedit, quod licet vel maxime in Deo
non nisi unicus detur decernendi actus, omnia in universum rerum crea-
tarum facta & fata, distinctissime cognita complexus, in signo tamen rationis
decretum de non impediendo peccato præcedat decretum de eodem
puniendo; cum poena relationem involvata antecedens delictum. Unde
pronum est colligere, sapientiae pariter a iustitia Divina non fuisse conve-
niens, ut permissionem peccati in poenam ejusdem decerniret.

§ XII.

Accusatori lancea rem ponderant, eamque ipsam, ut dicere amant,
acu tangunt, qui in libertate humana, cum fine creationis ultimo in nexa
spectata, rationem querunt, cur Deus actum voluntatis, in malum ruentis,
per fassiones gratiosas, aliave extraordinaria motiva non impediverit. Quod
enim hæc adhiberentur motiva, id utique eam fieret ob causam, quod si-
ne his Protoplasti, stupina negligenter voluptatum illecebris irretiti, non
essent in bono perseveraturi. Jam motiva, in respectata, libertatem quidem
nec tollunt, nec sufflaminant; interim tamen cum nova hæc & extraordinaria
id efficerent, ut anima vellet ea, quæ sine his nollet; patet, Deum, si nova sup-
peditasset motiva, non permisisse, ut Protoplasti, quo vellent, libere fese-
determinarent. Quam ob rem, cum actio illi in primis sit tribuenda, a quo
originaliter pendeat; (per princ. Jur. Nat.) non ipsis, sed Deo impu-
taretur obsequium legi Divina præstandum. At finis creationis ultimus
postulavit, ut in statu exploratorio constituti, quod vellent, eli-
garent, electumque, pro sua ad legem relatione, illis vel in præmium,
vel poenam imputaretur. Ergo nova ista & extraordinaria motiva non
adhibere præstitit, quam amplissimo hoc excidere sine,

TANTUM.

